



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

Remedium contra multiloquium. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

religiosorum? Vbi disciplinam didicerat monasticā? Certè Spiritus sancti gratia præuentus & instructus, legem vitæ & disciplinæ suscepit ac tenuit. Quæ si nunc affit nobis, poterimus & eandem obseruare silentij formam, quæ à senioribus nostris tradita est, & diligentius ab antiquo commendata.

3. *Commendatio silentij, secundum priscos patres sanctos & religiosos.*

**O**Mnes religiosi patres commendauerunt silentium; & quicumque etiam priuatim vixerunt, hoc tenuerunt & docuerunt. Quidam habent quasi quotidianum silentium; quidam autem sub quodam moderamine temporum, locorum, & personarum. Et licet non arctetur ad tantam obseruantiam, ad quam multi ex professione ordinis tenentur; tamen magni meriti apud Deum eris, quòd ex voto & amore silentij os tuum custodis. Insuper & aliis in hoc proposito bonum & edificabile præbebis exemplum, cum viderint formam sanctæ religionis in te florere.

4. *Virtutes silentij.*

**S**is igitur sollicitus in hac obseruantia, propter multas virtutes in ea latentes. Nam silentium bene seruando, obedientiam etiam seruas, humilitatem retines, verecundiam adornas, senibus reuerentiam exhibes, iuuenibus exemplum præbes, leuibus & dissolutis timorem incutis, extraneis bonam famam, intraneis pacem & concordiam generas. Habeas autem adhuc talem custodiam, vt primò serues strictè & perfectè, quod communis constitutio fixit; dehinc, vt cum loqui licet, temperatè utilia & necessaria siue tibi seu aliis dicas. Quæcumque autem superfluitate, aut otiositate, aut negligentia coincidunt, citius emendare festines, atque post lapsum præmunitior esto de cætero.

5. *Remedium contra multiloquium.*

**S**alutare remedium est contra excessum locutionis, aliquo tempore abstinere à necessariis & licitis verbis, etiam si nemo iubeat. Leuius & suauius onus fertur, quod ex affectu voluntario & interiori Spiritus sancti correptione accipitur. Prudenter quidem se arctat sub disciplina discipulus, agnoscens recentem culpam, antequam magister cum virga accedat, ad feriendum crescentem iam passionem.

6. *Reprehensio loquatium.*

**S**I assuescit aliquis ad singulas occasiones loqui, quando erit liber & quietus in se? Rarò deest loquaci loquendi occasio, neque vlla ei persona disconuenit. Quasi omnibus notus sit, sic affatur